

1379 bus charissimus esset, sua virtute publicam fortunam tam iniquo tempore sistere posset. Verum illum ipsum in vinculis esse, in tenebris eum jacere: qui si in luce esset, prostratos civium animos sola præsentia erigeret. Operæ premium facturos se, si una in curiam irent, peterentque a Patribus, ut continuo, ademptis vinculis, illum civitati restituerent. Vulgo exaudiri hujusmodi voces, jactari interdum hæc coram nobilibus. Quod ubi in curiam est allatum, vocato senatu, properarunt Patres suum munus occupare. Fit senatus consultum, ut Pisanus & alii ejusdem causæ rei e carcere educerentur. Quod ubi populo nunciatum est, ingens in curiam factus est concursus. Sed ut erat hominis modestia, voluit nocte illa, quæ secuta est, in carcere esse: ac interim accersito qui se audiret, confessionem fecit. Ubi vero illuxit, curiam ascendit, & ad Nicolai aram sacris interesse voluit: sumpsit & eucharistiam, ut per ea ostenderet, se omni publicæ & privatae injuriæ ignoscere. Rumor erat, invidia paucorum fuisse eum ignominia illa affectum. His procuratis, ad conspectum Principis & Patrum abductus, non turbida, non truci, sed læta hilarique fronte Senatum omnem salutavit. Eum ad pedes constitutum Contarenus Princeps ita assatus dicitur: *Fuit tempus, Victor, quo justitiae studimus: nunc gratiarum tempus est. Jussimus te ob cladem ad Polam acceptam, in custodiam adduci: nunc te liberandum duximus. Tu quæso ne cognoscere velis, utrum æquius fuerit, facere; quin obliterata præteriorum memoria, Rempublicam respice: illam jacentem erige, ac tuere: ac demum fac ita, ut tibi publicam privatamque salutem debeat tui cives, qui te ob amplissimas virtutes tuas colunt & honorant.* Ad ea Pisanus, *Nihil, inquit, clarissime Princeps, abs te & aliis qui Rempublicam administratis, in me profici sci potuit, quod, ut probum decet civem, non idem æquo animo fuerim laturus. Scio ego sapientissime fieri omnia, quæ e Republica fiunt: ad quod unum non vereor omnia consilia & decreta vestra spectare. Quod ad privatam injuriæ attinet, tantum abest, ut hoc nomine sim*

*Victor Pisanus decreto
Patrum
vinculis li-
beratur.*

*Pisanus mo-
destia & in-
juriarum
oblivio.*